



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XIV. S. Augustinus Hipponem venit construendi monasterij caußâ,
ibique, licet inuitus, sacerdotio initiatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

in Deum proximumque amore, misericorditer amplexatus, sedere iussit, pedesque eius magnâ cum animi demissione lauit, & pro amore suo fuit deosculatus. Quâ humanitate exhibitâ, peregrinus se detexit, & velut gratias reddens, ei dixit; *Magne Pater Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti, tibi comendo Ecclesiam meam.* Quo dicto, statim disparuit, & D. Augustinus non mediocriter attonitus, pro tantâ familiaritate, tamque manifeste receptis ab eo beneficiis, copiosè gratias egit.

CAPVT XIV.

S. Augustinus Hipponem venit construendi Monasterij causâ, ibique, licet inuitus, Sacerdotio initiatur.

Baron. t. 4.
anno 389.
& ann. 391.

CV M autem tam religiosæ conuersationis odor longiùs se diffunderet, adeoque Syneremitarum numerus in dies accresceret, ex eremo perrexit Augustinus Hipponem (quæ nunc Bona dicitur) ut cum Patritio quodam vrbs ciue tractaret de monastico instituto & monasterio, cuius spem adipiscendi hic ei fecerat. Erat autem vir locuples admodum, incensus Augustinum videndi desiderio, quòd ex eius ore diceret audire se velle consilia Evangelica, dein se suaque bona omnia Deo consecr-

P. Ribadineira in Vita S. P. Augustini.

secr-

secrare. Nec Augustinum res ea latebat, qui modis omnibus hominem ad suum cœnobium pertrahere nitebatur. Quod ubi rumor sparsit, Catholici Hipponenses, quibus de insigni eius eruditione constabat, cùm forte auditoribus (Valerio urbis Episcopo de prouidendo ciuitati Parocho verba faciente) astaret Augustinus, eum nihil tale suspicantem, quantumuis reluctaretur, sacrâ quadam vi (qui mos obtinebat eo tempore) tenuerunt, & eundem Antistitem, vt sacerdotio vellet Augustinum initiare, rogauerunt, quod & fecit Valerius, & Augustino mox initiato suam Ecclesiam beneuolo affectu credidit; quòd vir ætate grauis, & Latini sermonis imperitior non semel Deum rogauerat, vt talem adiutorem Episcopalis officij nancisceretur. Augustino verò penitus è diuerso res ea grauissima visa fuit: nam periculi plenam præfecturam non ignorabat, ideoque plurimum lacrymabatur, quòd tam repente tamque impræmeditatò ad eam dignitatem Ecclesiasticam peruenisset; cùm antè deditâ operâ consueuisset vitare loca seu ecclesias, vbi vel minimum periculum acquirendi huiuscemodi muneris impenderet: *Locus enim, ait, superior, et sita teneatur & administretur vt decet, tamen inde-*

K 5

cen-

Possid. c. 2.
4. & 5.Augustin.
Epist. 225.
ad Albinâ.Augustin.
Epist. 148.
ad Valeriũ.Lib. 29. De
Ciuit. c. 19.Honores
nullatenus
ambiendi.

center appetitur. Quamobrem otium sanctum
 quarit caritas veritatis, negotium iustum
 suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam
 si nullus imponit, percipienda atque intuen-
 da vacandum est veritati. Si autem imponi-
 tur, suscipienda est propter necessitatem cari-
 tatis. Hanc sibi impositam deprecatur apud
 Valerium, obsecrans ut patiatur se precibus
 ac studio in suo secessu vacare, donec im-
 posito muneri idoneus reperiatur: affirmat-
 que nihil esse in hac vita difficilius, laborio-
 sius, periculosiusque Ecclesiastico officio, sed
 apud Deum nihil beatius, si eo modo milite-
 tur, quo Imperator iubet. Quis autem, in-
 quit, iste sit modus, non didici: & eo tempore
 quo discere coeperam, vis mihi facta est, meri-
 to peccatorum meorum (nam quid aliud exi-
 stimem, nescio) ut secundus gubernaculorum
 locus mihi traderetur, qui remum tenere non
 noueram. Et hinc erant lacrymae illae, quas me
 fundere in ciuitate (videtur ex eremo ista
 scribere) ordinationis meae tempore nonnulli
 fratres animaduertunt, quod periculosissi-
 mum iudicarem hoc ministerium. Suo vero
 iudicio se ratus imparem tanto officio, ad-
 dit: Iubes ergo ut peream, Pater Valeri? ubi
 est caritas tua? Quid responsurus sum Do-
 mino Iudici? Miserearis mei.

Epist. 148.
 ad Valer.

NOTA.

Periculosa
 praefectura,
 praesertim
 dum am-
 biuntur.

CA-